

cap. 25, num. 24, et cap. 27, num. 254, et cons. 43, 42 et 44 de Homic., et cons. 97 de Simon., et cons. 46 de Rescript.; Covarr., in cap. Alma, part. 4, § 7, num. 4, et § 8, num. 3, et in reg. *Peccatum*, part. 2, § 8, num. 6 et 7, qui alios referunt; præsertim vero videri possunt Panormitanus in cap. Nisi cum pridem, de Renunc., num. 4, et cap. Tanta, de Excessib. Prælat., num. 2; et Felinus, in cap. 2 de Rescriptis, num. 4. Ad hanc autem sententiam confirmandam varii afferuntur textus, qui expendendi sunt. Primus est in cap. Cum bonæ, de Ætate et qualitate, in quo non est sermo de irregularibus, sed de suspensis per sententiam; et ibi est sermo de suspensione absolute, quæ videtur includere suspensionem a beneficio, quam irregularitas non includit. Et deinde si textus ille aliquid probaret, non minus de beneficio obtento, quam obtinendo procederet, ut patet ex verbis illis: *Non licet eis illa, quæ habuerint, beneficia, vel quæ postmodum sunt adepti, aliquatenus retinere.* Videtur ergo illa fuisse pœna a iudice imponenda, ut ex ultimis verbis textus constat. Secundo probatur ex cap. 2 de Clerico non ordin. ministr. Sed neque ille textus id probat, ut constat ex paulo antea dictis, quia neque ex illo satis constat sermonem esse de beneficio obtinendo, neque illam fuisse propriam dispensationem. Tertio affertur cap. Dudum, de Elect., ubi solum dicitur eum, qui in Ordinibus defectum patitur, *impediri per canonum sanctiones, quominus possit ad officium Præposituræ promoveri.* Ubi non explicatur, tale esse hoc impedimentum, ut electionem illam irritam reddat. Quarto citatur c. Cum inter, de Elect., quod nihil probat, quia solum agit de electione facta a suspensis, scilicet, a beneficio vel jurisdictione, ut in superioribus suo loco declaravimus, estque de illo impedimento longe diversa ratio. Quinto citatur cap. 2 de Clerico pugnante in duello, quia in eo dicitur, posse dispensari cum quodam clerico, qui irregularitatem contraxerat, quantum ad beneficium obtinendum. Ex quo loco optime probatur talem collationem esse prohibitam, posseque per iudicem irritari, si absque dispensatione sit facta; quod vero sit nulla, non satis probatur ex illo textu. Sexto adjungitur cap. Postulastis, de Clerico excommunicato. Sed in his legibus pœnalibus argumentum a simili non est efficax; maxime cum plures effectus habeat ex-

communicatio, quos non habeat irregularitas. Potest tamen fieri vis in illatione textus: *Cum ea non fuerint canonice consecuti.* Nam his verbis significatur, illam collationem esse nullam, non propter specialem rationem excommunicationis, sed propter generalem causam collationis non factæ canonice. Quæ ratio locum habet in collatione irregulari facta, quia non est canonice facta, utpote contra canonicum impedimentum. Responderi vero poterit, rationem illam esse intelligendam cum distributione accommodata; omnis enim collatio, quæ non fit secundum canones, potest dici non canonice facta, et tamen non semper est nulla, quia conditiones a canonibus requisitæ non omnes sunt æque necessariæ, argumento textus in cap. Quia nonnullis, de Cleric. non resid. Sicut in simili etiam constat de sententia non canonice lata; intelligitur ergo illa ratio juxta subjectam materiam, scilicet, quia collatio fuit non canonice tali modo, id est, cum impedimento irritante; nunc autem inquirimus, an irregularitas talis sit.

31. Septimo adducitur textus in cap. ult. de Clerico excommunic. ministr., ubi in primis dicitur, excommunicatum etiam minori excommunicatione non posse eligi; quod videtur a fortiori dicendum de irregulari, tum propter argumentum a simili, vel potius ab inferiori; nam excommunicatio minor minus impedimentum canonicum censetur; tum maxime propter rationem textus, scilicet, quia ad illud munus exercendum eligitur, a quo per canones est separatus. Unde sumitur generalis regula, prohibito uno, consequenter prohiberi aliud, quod cum illo connexum est; quam habet Glossa in cap. Studeat, 3, 50 dist. Hæc autem regula majori ratione procedit in irregulari, quia ex vi irregularitatis perpetuo remotus est ab eo ministerio, propter quod datur beneficium Ecclesiasticum. Quæ ratio adeo videtur efficax, ut secluso speciali jure positivo, hæc inhabilitas intrinsece videatur sequi ex irregularitate; nam contra jus naturale est beneficium accipere illum, qui officium non potest implere; nam ille solus ad beneficium idoneus reputatur, qui potest deservire, ut dicitur in cap. Super inordinata, de Præbendis. Sed ut omittam, rationem hanc non procedere universaliter in omnibus beneficiis, neque in omni officio, propter quod beneficium datur; aliquando enim solum datur propter officium recitandi horas canonicas, vel si obligat ad

aliud ministerium, non necessario per propriam personam exercetur; hoc (inquam) omisso, illa omnia ad summum probant, illam beneficii collationem esse irritandam, non vero esse irritam. Nam in dicto capite ultimo non amplius dicitur, nec ratio ejus ad aliud inducitur, ut tractando de excommunicatione minori expendimus. Neque etiam ratio naturalis per se sumpta amplius probat; imo multi existimant, indignum non teneri, etiam ex jure canonico, ad dimittendum statim beneficium sua sponte, donec a superiore cogatur, dummodo possit, et studeat se dignum reddere, et interim aliorum juvamine suo muneri satisfacere. Idem ergo dici potest de irregulari; nam potest dispensationem procurare, atque hoc modo impedimentum tollere. Unde secluso jure positivo, talis receptio beneficii non solum non esset nulla, verum etiam fieri posset aliquando sine peccato, ut si irregularitas esset occulta, et non posset quis expectare dispensationem sine magno dispendio, nimirum amittendi occasionem obtinendi congruum beneficium, cujus esset dignus seclusa irregularitate, eamque auferendam speraret sine gravi dispendio Ecclesiæ, et servitii illi debiti; his enim omnibus concurrentibus, nulla apparet malitia in illo actu.

32. Tandem ad hoc confirmandum adduci potest decretum Concilii Tridentini, sess. 14, cap. 7 de Reformat., ubi de homicida dicitur, *ut nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferre liceat, etc.* Sed neque hoc decretum satis probat, tum quia solum ait, ut conferri non liceat; nullum autem habet verbum irritans; tum etiam quia dicere possumus, ibi non solum imponere irregularitatem, sed etiam perpetuam depositionem ab officio et beneficio.

33. Quapropter ex omnibus fundamentis hujus sententiæ nondum evacuatum est illud quo contraria opinio præcipue nititur, quia pœna, vel inhabilitas, quæ ipso facto contrahatur, admittenda non est, nisi fuerit in jure expressa. Item irregularitas non incurritur nisi in casibus a jure expressis; ergo pariter irregularitas non plures habet effectus quam sint in jure expressi; sed hic effectus inhabilitandi personam ad beneficium Ecclesiasticum, seu irritandi collationem factam, non est in jure expressus: ergo. Item ob hanc causam negamus, irregularitatem ipso

jure privare beneficiis jam obtentis, quia non est in jure expressum, etiamsi jus præcipiat ut auferantur. Et ob eandem causam negamus suspensum ab Ordine esse pro tunc incapacem ad suscipiendum beneficium, ut supra visum est: ergo.

34. *Irregularem non posse accipere de novo beneficium absque dispensatione.* — In hac ergo difficultate dico primo, irregularem non posse licite accipere de novo beneficium absque dispensatione, quia jura multa satis probant hoc esse prohibitum, et eadem ratione est certum, graviter peccare, qui illud confert, cognita irregularitate alterius, vel culpabiliter ignorante, quia et confert illud indigno secundum jura, et hoc est etiam illi directe prohibitum. Excipi vero potest Summus Pontifex; nam si conferat beneficium irregulari sciens et videns, censetur ipso facto dispensare; et ideo si dispensando non peccat, nec conferendo beneficium peccabit.

35. *Collatio facta irregulari, irritanda est per iudicem.* — *Dubium deciditur.* — Dico secundo certum, talem collationem a iudice irritandam esse, qui potest juste non solum beneficium auferre, sed etiam fructus ejus, in pœnam saltem commissi criminis in receptione talis beneficii. An vero talis collatio ita sit nulla ipso facto, ut in conscientia teneatur quis dimittere beneficium, etiamsi irregularitas sit occultissima, et consequenter in conscientia non faciat fructus suos, sed contra justitiam peccet, tam accipiendo quam retinendo illos, mihi profecto dubium est, censeoque priorem opinionem, quæ hoc negat, esse probabilem in rigore juris, propter omnia adducta, quæ optime confirmantur ex cap. Si soli, de Concess. præben., in 6, ubi dicitur prohibitionem Pontificis non irritare collationem beneficii, nisi expresse constiterit esse irritum, et inane, quod factum fuerit contra ipsam. Hoc ergo satis est, ut quis excusetur a peccato, si in praxi illam sequi voluerit, dummodo advertat, non posse tuta conscientia retinere beneficium manendo in irregularitate, sed debere illius dispensationem procurare; quod si illam obtinere non potuerit, tenebitur beneficium relinquere, saltem cum limitatione posita in præcedenti puncto. Sufficiet vero juxta hanc sententiam, obtinere dispensationem irregularitatis, etiamsi nulla fiat mentio beneficii obtenti, aut fructuum ejus. Et ita declarant dicti auctores, et est consequenter dictum quoad forum conscientia; nam in exteriori non sufficiet talis dis-

pensatio postea subsecuta, quominus impetrari possit, et auferri beneficium propter priorem defectum, si detegatur.

36. *Probatur secunda sententia supra posita.* — Nihilominus tamen posterior sententia securior est, et practice probabilior, primo, quia est communiter recepta. Secundo, quia licet jura hoc expresse non debeat, tamen eorum verba nunc sensum possunt admittere, qui licet rigorosus appareat, tamen usus ipse interpretari potuit, hunc esse sensum jurium; verisimile autem est, usum et praxim esse juxta communem sententiam. Tertio potest explicari, quia irregularitas est odiosa in jure, censeturque esse gravissimum impedimentum canonicum in ordine ad totum statum clericalem; ergo verisimile est impedire saltem, ne de novo acquirantur jura, quæ clericorum sint propria; nam licet hic videatur rigor respectu personæ irregularis, respectu status clericalis et disciplinæ Ecclesiasticæ est favor. Quarto addere possumus, hic intervenire defectum voluntatis ex parte conferentis beneficium; quæ sufficit ad annullandam collationem. Et in hoc est differentia inter beneficium prius obtentum, et postea obtinendum, quod prius fuit legitima voluntate collatum, et amplius ab illa non pendet, donec per contrariam voluntatem auferatur; posterius vero pendet a voluntate conferentis; hæc autem voluntas suppositis canonibus non censetur intervenire, quamdiu irregularitas durat, quia justa voluntas collatoris est dare illi secundum canones, seu non habenti canonicum impedimentum, præsertim adeo grave. Et hoc quidem est valde probabile, quando irregularitas occultatur; sicut censetur subreptitia gratia, in cujus petitione aliquid taceatur, quod ad eam concedendam vel negandam secundum jura, et rectam rationem multum conferre posset. Quapropter in beneficiis collatis a Summo Pontifice poterit esse ratio adæquata; nam si Pontifici proposita est irregularitas, cum dat beneficium, eo ipso dispensat; si vero non fuit proposita, hoc ipso est concessio nulla, quia involuntaria, et subreptitia Pontifici. Propter quod fortasse dixit Calderinus, consil. 20, sub tit. de Præbend., et consil. 4, sub tit. de Accusationibus, impetrationem litterarum ad beneficia ab irregulari obtentam esse nullam. De inferioribus vero Episcopis, si eis occultetur irregularitas, procedit etiam ratio facta; si vero illam scient, et dispensare velint, videndum est, an pos-

sint juxta alia jura. Et verisimile est, si non possint dispensare in irregularitate, nec in collatione beneficii posse, nisi in casibus eis expresse concessis. His ergo modis potest hæc opinio sustineri probabiliter, et ex eisdem, et ex eorundem declaratione satisfactum est principali fundamento alterius sententiæ, quantum a nobis fieri potest. Quid autem

nominè beneficii in tota hac materia intelligatur, ex dictis supra in simili de excommunicatione sumendum est, et cum eadem latitudine illud declarant Navarrus et Covarruvias supra.

37. Confirmationes autem pro illa sententia adductæ parum urgentes sunt; tamen quia probare possunt, hanc etiam receptionem beneficii esse licitam, et nullo modo juri contrariam, illis satisfaciendum est. Ad primam respondetur primo, quando irregularitas provenit post ordinationem, regulariter supponere in clerico ordinato aliquod beneficium ad cujus titulum ordinatus est, et illo non privatur propter irregularitatem, et ita non sequitur illud inconveniens, quod cogatur mendicare; quod si contingat, aut ordinatum fuisse sine titulo beneficii, vel alia occasione ad paupertatis statum perveniat, illi sunt casus valde accidentarii, quibus jura non provident, sed per dispensationem superioris provideri potest. Unde in illo cap. 2 de Cler. non ordin. min., potius videtur agi de non auferendo beneficio, quam de conferendo, ut indicant etiam illa verba, *ne sustentatione privatis*, etc.

38. Deinde vero dico, quando irregularitas non est totalis, sed respectu alicujus actus, aut temporis, tunc non reddere clericum incapacem cujuscumque beneficii, sed tantum illius, quod habet annexam obligationem tali irregularitati repugnantem; ut, verbi gratia, in casu dicti capit. mansit ille diaconus irregularis solum quoad sacerdotium; nam in diaconatu ministrare poterat, nisi esset suspensus per triennium, quo tempore finito, non indigebat alia dispensatione; et ideo habilis mansit ad beneficium recipiendum, quod solum ad diaconi ministerium obliget. Eodem modo explicari potest textus in cap. Studeat, 50 dist., ubi irregulari quoad usum sacerdotii præcipitur dari beneficium; quanquam id videatur factum ex speciali dispensatione, ut notat Glossa, et indicant limitationes, quæ in textu adduntur. Similiter ad hoc potest induci textus in cap. Vel non est compos, de Tempore ordin., quamvis fortasse alius sit

sensus ejus, de quo infra. Et ratio est, quia cum hæc prohibitio nascatur ex prohibitione circa exercitium Ordinis, non potest amplius extendi, quam illa, ex qua nascitur. Atque ita sentit Navarrus, cap. 27, num. 252, qui hoc limitat ad irregularitatem, quæ sine peccato contrahitur; tamen ratio facta gene-

raliter probat, si culpa non obstante talis irregularitas non impedit omnem actum Ordinis, sed aliquem; et cap. 2 de Cleric. non ord., et cap. Studeat, aperte loquuntur de irregularitate culpabiliter contracta.

39. Ad secundam confirmationem negatur consequentia, quia nec professio religionis est beneficium Ecclesiasticum in proprietate, ut per se notum est, neque habet similitudinem, aut proportionem cum illo, quantum ad rem præsentem, quia nec requirit Ordinis executionem, neque ipsum Ordinem, neque ordinatur per se ad ministeria clericorum exercenda, sed ad perfectionem acquirendam per observantiam regularem. Sunt quidem aliquæ inhabilitates ad professionem emittendam, quæ illam nullam reddunt, ut defectus ætatis requisitæ secundum jura, etc. Sed illæ sunt alterius rationis, et non pertinent ad irregularitates, de quibus nunc agimus.

40. *Vide Glossam ult. in cap. Cum olim, de Majorit. et obed., et Sylvam, de Beneficiis, § part., quæst. 11, num. 7.* — Ad tertiam confirmationem negatur consequentia, quæ si aliquid valeret, non solum probaret collationem beneficii factam irregulari esse validam, sed etiam esse licitam, quod probavimus esse aperte falsum. Et sequela patet, quia irregularis non solum valide, sed etiam licite potest beneficium conferre. Ratio autem est, quia conferre beneficium neque per se, neque ex consequenti prohibitum est per irregularitatem. Non quidem per se, quia non est actus Ordinis, sed solius jurisdictionis; unde fieri potest ab Episcopo nondum consecrato, dummodo electus, et confirmatus sit, juxta cap. Transmissam, et quæ ibi notantur, de Electione. Item conferre beneficium computatur inter fructus, pertinetque ad convenientem Ecclesiæ administrationem, quæ irregularitas non aufert, ut diximus. Non etiam ex consequenti, quia irregularis conferens alteri beneficium, licet det aliquid postulans executionem Ordinum, a quibus ipse suspensus est, tamen non confert sibi, sed alteri, qui supponitur habilis ad Ordinis executionem. Unde quoad hoc magis separat irregularitas a recipiendo, quam ab agendo,

quia per receptionem ordinatur persona et obligatur ad executionem Ordinis, non autem per collationem alteri factam.

Alia minutiora dubia enucleantur.

41. *Primo, an irregularis privetur fructibus et administratione beneficii post irregularitatem acquisiti.* — Et juxta hujus dubii resolutionem expedienda sunt alia illi similia, vel cum illo connexa, ut in præcedenti puncto fecimus, ut, v. gr., an hujusmodi clericus irregularis possit recipere, et obtinere fructus beneficii postea obtenti, et an possit administrationem ratione talis beneficii convenientem exercere, et alios actus eligendi, præsentandi, conferendi beneficia, et similes, quorum jus competat ratione talis beneficii post irregularitatem contractam acquisiti; nam de his omnibus consequenter loquendum est ad opiniones proximè tractatas. Si enim teneamus, collationem in conscientia fuisse validam, consequenter dicendum est, omnia illa fieri posse, quia nascuntur ex legitima potestate, cujus usum non impedit irregularitas, si a principio ipsiusmet potestatis acquisitionem non impedivit. Juxta alteram vero sententiam negandum est, irregularem posse tales actus exercere, non quia irregularitas per se illos prohibeat, sed quia impedivit acquisitionem beneficii, ex quo jus, vel potestas ad tales actus manere debebat.

42. *An irregularitas jurisdictionem impediatur.* — Tandem juxta eadem principia expediendum est dubium de potestate jurisdictionis. Possumus autem in illo distinguere de potestate ordinaria, vel delegata. Nam de priori certum est, irregularem eodem modo esse incapacem cujuscumque muneris, vel officii, quod ex proprio titulo habeat Ecclesiasticam jurisdictionem, quo est incapax beneficii; quale est Prælatura religionis; quia licet hæc munera non habeant beneficium annexum, habent officium, et titulum spirituale, quo maxime privatur irregularis; de quo in simili dictum est supra tractando de censuris. Alia vero pars de jurisdictione delegata hic habet specialem difficultatem, an scilicet delegatio jurisdictionis spiritualis facta clerico irregulari sit valida. In qua re non est dubium, quin juxta priorem sententiam, quæ affirmat, collationem beneficii esse validam, dicendum sit, hanc delegationem validam esse. Verumtamen etiam admissa

posteriori sententia, videtur id posse affirmari, quia non fit necessaria illatio a collatione beneficii ad delegationem jurisdictionis, quæ beneficium Ecclesiasticum non est, ut per se constat. Et communis opinio, quæ rigorosa est, non est extendenda in materia pœnali, quia longe minus est recipere jurisdictionem delegatam, quam proprium munus pastorale. Unde si talis jurisdictio sit fori contentiosi, ego non dubito, quin delegatio valida sit, quia præcise ordinatur ad actus, qui per se non requirunt Ordinum executionem. Estque in hoc manifesta differentia inter hanc jurisdictionem, ut ordinariam, vel ut delegatam, quia priori modo semper datur, ut annexa alicui beneficio, vel pastorali muneri, in quo principale est functionum spiritualium ministerium, quod sine usu Ordinum non completur; et ideo si ob hanc causam collatio beneficii impeditur, etiam id, quod accessorium est, obtineri non potest; at vero in delegatione præscinditur unum ab alio, et datur (ut supponimus) sola jurisdictio fori Ecclesiastici, et ideo cessat prædicta ratio, et alioqui nullum est jus, quod irritet, vel directe prohibeat talem delegationem. Per delegationem autem hic intelligo quaecumque jurisdictionem, quæ est ex commissione, et non ex intrinseco titulo, ut sic dicam; nam in omni illa procedit discursus factus, etiamsi aliquando modum ordinariæ jurisdictionis habeat, ut in Legato Pontificis.

43. *Quid de jurisdictione fori pœnitentiæ. — Ratio dubitandi.* — Ultimo vero superest explicandum, an hæc doctrina procedat etiam in jurisdictione fori pœnitentiæ, in qua est specialis ratio dubitandi, quia actus illius jurisdictionis per se et essentialiter est actus Ordinis; et ideo directe est prohibitus irregulari; ergo etiam videtur ablati usus talis jurisdictionis, supponendo quod irregularitas sit perfecta a toto Ordine sacerdotali. Confirmatur, nam suspensio ab Ordine censetur tollere hanc jurisdictionem; sed irregularitas ad minimum æquiparatur illi in impedienda Ordinum executione, juxta doctrinam communem Sylvestri, Navarri, et omnium: ergo. Major sumitur ex Glossa, Joanne Andrea, et communi in cap. Cum dilectus, de Consuet., dicentibus, privatum executione Ordinis consequenter privari usu jurisdictionis inseparabili ab usu Ordinis. Videturque hoc rationi consentaneum, quia accessorium sequitur principale; sed hæc jurisdictio est quasi accessoria ad Ordinem;

ergo Ecclesia, quæ removet talem personam ab usu Ordinis, imo ab ipso Ordine prout potest, consequenter intendit talem jurisdictionem auferre. In contrarium vero est primo, quia nullo jure cavetur talis irregularitatis effectus, neque a nobis asserendus est. Secundo, nullus est auctor, qui expresse hoc asserat, nec satis id insinuet, et pœnæ non sunt a nobis augendæ sine cogente fundamento. Tertio, dicta de aliis jurisdictionibus quoad alios actus Ecclesiasticos possunt hic cum proportionem applicari.

44. *Prima conclusio. — Secunda conclusio. — Tertia conclusio.* — Dico ergo in primis, eum, qui habebat jurisdictionem ordinariam in foro pœnitentiæ, non amittere illam absolute et simpliciter ipso facto per irregularitatem. Probatur ex dictis, quia non amittit officium, vel beneficium, nec ab illis suspenditur. Item ab effectu, quia potest delegare talem jurisdictionem. Parochus enim irregularis potest alteri sacerdoti approbato committere, ut confessiones suarum ovium audiat; nam cur non? illa enim delegatio non est actus Ordinis. Item clericus non sacerdos potest habere hanc jurisdictionem, et delegare illam: ergo, etc. Dico secundo, non posse irregularem clericum accipere hanc jurisdictionem ordinariam de novo. Hæc assertio procedit juxta opinionem communem, quia non potest de novo conferri valide beneficium, officium, seu Prælatura; juxta contrariam autem opinionem contrarium esset dicendum, ut patet ex præcedenti assertionem. Et in omni opinione excipiendus est summus Pontificatus; nam irregularitas non impedit illius consecutionem, et consequenter nec jurisdictionem ordinariam et primariam in foro pœnitentiæ etiam denuo comparatam, quod in illa dignitate est speciale; nam ista excludit omnem irregularitatem. Dico tertio, etiam clericum habentem hanc jurisdictionem non posse licite uti illa per seipsum absolvendo sacramentaliter a peccatis. Est certum, quia est privatus executione Ordinis, et non potest uti illa jurisdictione, quin utatur Ordine. Unde saltem ex hoc capite graviter peccat. Ex quo fit, peccare etiam pœnitentem, qui illum ad talem actum inducit, per se loquendo, et seclusis excusationibus, juxta latius tractata in 3 tomo, disputatione 58.

45. *Quarta conclusio. — Quinta conclusio.* — Dico nihilominus quarto, probabilius videri talem absolutionem, si detur a tali sacerdote,

validam esse, quantum est ex parte ejus, id est, si in pœnitente non inveniatur obicem contrarium substantiæ sacramenti. Probatur, quia nihil deest ex parte ministri, quod sit de substantia et valore talis absolutionis; ergo licet sit prohibita, erit valida, sicut est valida consecratio et administratio cujuscumque alterius sacramenti. Probatur consequentia, quia ibi non deest potestas Ordinis, nec jurisdictionis, et prohibitio per se solum est circa usum potestatis Ordinis, et ratione illius redundat in talem usum jurisdictionis; hæc autem prohibitio non est contra substantiam sacramenti, ut dictum est. Nec plus probant priores rationes dubitandi; et ideo non potest cum sufficienti fundamento dici illam jurisdictionem esse suspensam, vel ablatam quoad talem usum, ut probant rationes in contrarium objectæ; et ita judicatum est a viris doctis, cum quibus hanc rem contuli, quia non tractatur a Doctoribus. Quinto censeo, idem esse dicendum de sacerdote habente hanc jurisdictionem delegatam; nam si irregularis fiat, non amittit illam ipso facto; quia nullum est principium ad id asserendum. Unde si absolvat, valida erit absolutio ex eodem fundamento, et si obtineat dispensationem ab irregularitate, non indigebit nova delegatione jurisdictionis, ut licite, et valide absolvat; ergo signum est non amisisse illam. Imo licet post irregularitatem ei jurisdictio delegetur, idem omnino arbitror, quia non est incapax talis jurisdictionis, neque est aliquod jus, quod illam delegationem nullam et irritam faciat. Solum posset esse invalida, si per deceptionem obtineretur, vel per subreptionem, tanquam gratia subreptitiæ obtenta; quod habebit locum, quando in gratiam sacerdotis conceditur; nam quando datur primario in gratiam pœnitentis, raro censebitur delegatio subreptitiæ ex hoc capite.

46. *Sexta conclusio. — Septima conclusio.* — Hinc ulterius (quia has quæstiones supra huc remisi) probabilius censeo idem esse dicendum de suspensione ab Ordine; nam si præcisa sit, non impedit executionem jurisdictionis, sed Ordinis tantum, ut supra dixi; et ideo neque hanc jurisdictionem tollit, sed solum concomitanter prohibet talem illius usum, quod non satis est ad irritandum actum. Quod omnibus argumentis factis, et inductione ab aliis actibus jurisdictionis sumpta confirmari potest. Tandem idem judico dicendum de interdicto personali sa-

cerdotis absolventis, quia seclusa excommunicatione, non videtur per se tollere jurisdictionem; nam talis interdictus, si sit ordinarius, potest suam jurisdictionem delegare, et alios actus jurisdictionis valide efficere. Et aliæ rationes hic etiam habent locum, nullumque est jus, quod tribuat hunc effectum tali censuræ, nec auctores illud assignant. Quamdiu ergo aliud non constiterit, non sunt a nobis effectus harum pœnarum augendi.

SECTIO III.

Propter quam causam incuratur irregularitas, et quotuplex illa sit.

1. *Prima regula. — Irregularitas non est semper pœna propria.* — Consideranda in primis occurrit causa motiva, et quasi finalis; nam est prima radix institutionis irregularitatis. Unde ex ordine ad illam oriri solent variæ divisiones irregularitatum, quæ propterea simul cum hac causa explicabuntur. Prima ergo regula est, irregularitatem non semper incurri propter peccatum, sed interdum sufficere indecentiam absque culpa; aliquando vero imponi propter culpam. Tradit D. Thom., 2. 2. quæst. 64, art. 7, ad 3, et quæst. 108, art. 4, ad 2; Richardus, in 4, dist. 25, art. 4, quæst. 3, ad 1, ac omnes scribentes de irregularitate, constabitque late ex discursu materiæ. Ratio vero est, quia irregularitas non est primo et per se in pœnam introducta, sed propter reverentiam Ecclesiasticorum Ordinum et functionum eorum, ut omnia religiose ac decenter peragantur; non solum autem culpa, sed etiam multi alii defectus possunt hanc decentiam impedire. Unde facile solvitur vulgaris objectio, quia nemo debet pati pœnam sine culpa; est enim illud verum formaliter de pœna quatenus pœna est, nam dicit relationem ad culpam; non tamen de quolibet nocimento, aut gravamine, seu privatione boni, quod generali quadam ratione comprehenditur sub malo pœnæ; aliquid enim hujusmodi aliquando incurritur sine culpa, licet non sine causa, et maxime propter commune et excellentius bonum, ut in præsentem est decentia et religio functionum sacrarum.

Prima irregularitatis divisio.

2. *Divisio hæc oritur per ordinem ad causam irregularitatis.* — Hinc ergo oritur